

*eis (Scripturis) non pervenitur difficultate. Item, Modus dicendi, quò sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis, ea, quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fucò ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò, quæ in Mysteriis occultat, nec ipsa eloquiò superbò erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifestâ pascit, sed etiam secretâ exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodò renovantur, renovata suaviter intimantur. Et de Doctrin. Christian. lib. 2. cap. 6. Qui prorsus non inveniunt, quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidiò sæpe marcescunt. In utròque autem languor cavendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus S. ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè alibi dictum reperiatur. At verò quænam ipsis oratio per se clara, aut sensus per se notus dicitur? Ego, ut verum fatear, nihil hâc de re solidi quicquam, & quod acriorem aliquam inquisitionem ferre posset, apud omnes, quos mihi hætenus videre contigit Theologos, invenire potui. Quorum itaque opinionibus recensendis, ac refellendis non necesse immorari. Exceptioni verò huic uni (nempe locos quosdam per se claros esse) quàm suprâ attulimus, & quam solam in hâc quæstione pro se adferre possunt, ut occurratur, primò quædam, in initiò hujus tractatus à nobis exposita, in memoriam revocabimus.*

3. Diximus suprâ cap. 2, Vocabula esse conceptuum ac rerum notas & signa; atque ex his omnem conflare, & constare orationem: Res itaque & conceptus erunt signata, ac omnis oratio significabit plures conceptus ac res inter se aut conjunctos aut disjunctos. Diximus insuper eòd. cap. omnem vocabulorum denotationem, atque adèò orationis sensum, non à naturâ, sed hominum institutò & originem duxisse, & ab eorundem usu etiamnum dependere, quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi. Ex quibus consequitur, omnes vocabulorum significationes, ac orationum sensus non Naturâ, aut naturali luminis indagatione innotescere; sed cum hominibus eâ linguâ utentibus conversandò, loquendò puta & audiendò, vel à præceptore vivâ voce addisci, aut ex Lexicis Grammaticisq̄ue hauriri debere.

4. Quando igitur quædam S. Scripturæ loca per se clara atque perspicua statuunt Reformati, non illam possunt intelligere perspicuitatem, quâ principia scientiarum, primæ & communes notiones vulgò dicta, per se clara dicuntur. Hæc enim lumine naturæ sine ullâ demonstratione intelliguntur, quod in illis locum habere non posse, jam jam ostendimus. Sed intelligere videntur.